



1,6



I,6

28  
30

ANALECTA  
DE  
BURGWARDIIS  
SAXONICIS.

---

SIMVL VERO  
MV SARVM FAVTORES AC PATRONOS  
AD AVDIENDAS

ORATIONES VII.

d. II. MARTII MD CC XLVII.

DECENTER INVITAT

CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS,  
RECTOR.

---

DRESDAE,  
LITERIS HARPETERIANIS.

31.

ANALECTA

DE

EVANGELII  
SAXONICIS

---

DE VI. V. 1780

IN VITIS PATRONIS AC PATRONAS  
AD AGENDAS

GRATIATIONES VII

DE VI. V. 1780

DE PATRIS PATRI

CHRISTIANVS PROTESTANTIVS

DE VI. V. 1780

LITTE: HARTHEIMANIS





ANALECTA  
DE  
BURGWARDIIS SAXONICIS.

§. 1.



Vi in re historica litterarum monumentis aliquid mandare solent, neutiq̄vam sibi persuadent, se opera suis numeris absoluta posse protrudere. Quum primum enim liber aliquis ad finem perductus est, tum statim prodit alius, qui ex angulo quodam abstruso & ignoto res profert huc usque incognitas, quibus, quæ huc usque tradita sunt, vel suppleantur, vel emendantur, & quæ minus certis argumentis confirmata erant, corroborantur. Nemo quisque veritatis studiosus tam est absurdus, qui vel sententias incertas revocare, vel etiam, quæ omissa sunt, supplere nolit. Quum igitur ante annos XV. de Burgwardiis Saxonis agerem parte VII. operis, quod *Spicilegium historiae Saxonicae* inscribitur, & sermone vernaculo prodit; accidit postea, ut tum ex libris editis, tum quoque documentis nondum publice prostantibus, plura burgwardia observarem, quorum noticiam, una cum aliis eo pertinentibus, Lectori nunc quidem propinabo.

A 2

§. 2.

## §. 2.

## Derivatio Burgwardii.

Celeberrimus historia Gandersheimensis conditor, *Burgwardii* vocabulum ab auctore vitæ S. Meinwerci, a me quoque allegato, ad ductum explicaturus, ait, sibi videri idem esse ac *böbr, börde*, tractus inter duo montium juga longe exporrectus, & *warde, werder*, pascuum. (a) Fraudi autem fuit viro docto, quod librarius paullo stupidior vocem non accurate satis expressit. Nam illa, quæ de *burgo*, h. e. arce, & *warta* sive specula, produxi, longe melius ad rem faciunt, & cum vulgarissima illius vocis scriptione conveniunt. Ut adeo burgwardium proprie arx sit in loco superiore exstructa, ex qua, tanquam ex specula, hostem procul adventantem liceat perpicere.

## §. 3.

## Quædam ad Synonymiam &amp; Homonymiam spectantia.

Burgwardium antiquis temporibus latino sermone dicebatur *municipium*, teste diplomate Ottonis II. qui Ecclesiæ Magdeburgensi civitatem *Magdeburg cum teloneo & mercatu seu moneta, municipium ejus, quod nos Burgwardum dicimus*, confirmavit. (b) Aliud exemplum in dicto Spicilegio evolvarur. Sed tamen & hoc observare licet, significatum hunc, etiam ultimis temporibus, simul obtinuisse, ut integrum districtum denotaret.

Seqvioribus temporibus, quum distinctio in *burgwardia* dudum exolevisset, vocabulum tamen eorundem in usu permanfit, eadem notione, quam modo tetigimus. Adfunt litteræ Henrici, Alcaniæ Comitæ, a. 1239. datæ, in quibus mentio fit *primum mercatus, tbelonei & præfecturæ opidi Nienburgensis*: quæ præfectura paullo post *burchwardum*

(a) Harenbergii hist. Gandersheim. p. 123.

(b) Dipl. apud Meibomium II. p. 373. &amp; alios.

*dum Nienburgense appellatur. Secundo loco memoratur burchwardum trans Mildam, tertio præfectura in Hazzekemrod. Tandem additur: De supradictis tribus burchwardiis non exhibetur aliquod servitium Advocato. (c) Constat ex his, præfecturam sive districtum appellatum fuisse burchwardium. Adfunt literæ Theoderici, Marchionis Landsbergenfis, qui filius erat Henrici Illustris, annum 1276. agnoscetes, in quibus hæc habes: Prædictus etiam Episcopus in bonis suis & Judiciis, & in his, quæ vulgariter Weichbilde & Burckward dicuntur, nulla incommoda sustinebit. Item in aliis anni 1278. Et quicquid est inter & intra terminos Judiciorum, quæ Wichbild & Burgkwerda nuncupantur. (d)*

## S. 4.

In eadem diœcesi Numburgensi burgwardii vox serius obtinuit, cui rei testimonio est documentum, quo Wilhelmus, Saxonix Dux, fines suos & Episcopatus Numburgensis legitime describit, id quod factum a 1451. Ibi burgwardii vox aliquoties habetur, id quod ex his exemplis constabit: *Vmb Clossen mit sinem Gericht vnd Burgwarden sal bliben, inmassen als das vermalet ist. - Also das die zwo Eygenschafft (duæ villæ ad quosdam privatos spectantes) von der Burgward usgeschloffen sind. Porro: hie dissyd dem Tale, da sich die Burgward endet. - Vnd auch alle andere Gelegenbeid, was der vndir den Burgwarden Ende ligen, geboren zcu denselben Burgwarden. (e)*

Tandem brevibus addenda est distinctio inter burgum & burgwardum, h. e. arcem sive urbem, & districtum circumjacentem. Eam habet diploma Ottonis II. Marchionis Brandenburgici a. 1196. datum,

A 3

his

(c) Dipl. apud Becmanum Hist. Anhalt. V. p. 71.

(d) Dipl. apud Jrisandrum *Sammlung von Naumburgischen Urkunden* p. 86. 95.

(e) Dipl. apud Eundem p. 4. 5.

his verbis: *castrum Mokerine, Steinboie, & quod habuimus tam in burgo, quam in burgwardo Cherewist, tradidimus.* (f)

Nunc igitur ad rem.

### I. Burgwardum Buistrizi.

Haud procul a villa *Pesterwitz*, quæ nominis prisca vestigia seruat, rudera conspiciuntur arcis antiquæ, muro & duplici fossa quondam munitæ. Ajunt, lapides illius ad extruendum templum fuisse adhibitos. Rustici hodie vocant *den Purpurberg*, quod corruptum est ex *Burgberg*.

### II. Burgwardium Gozne & Franckenberg.

De hoc nactus sum Excerpta diplomatis anno 1243, dati, cuius ex Albino mentionem feceram: in eo continentur sequentia. Illo tractu temporis orta sunt dissidia inter Ecclesiam Misnensem & Arnoldum de Mildenstein, de decimis prædiorum Abbatia Hersfeldensis in hoc Burgwardio Goznenfi sitorum. Quamvis igitur Episcopus, Decanus & Archidiaconus Merseburgensis, auctoritate Pontificis Maximi ad hoc delecti, litem diremerint, tamen ambo litigantes, decisione non contenti, denuo in Episcopum Merseburgensem, Theodericum Marchionem Misnensem, & Albertum de Drewzk, compromiserunt. Hi post multam deliberationem hanc sententiam tulerunt, ut, si Theodericus, Præpositus Misnensis, cognatus Alberti Mildensteinii, juratus adfirmaret, decimas has ad Ecclesiam Misnensem spectare, Albertus liti suæ nuntium mitteret. Juramentum igitur præstitit Præpositus laudatus in sancta Dei Evangelia, quæ formula illis temporibus inoleverat, omnem decimam bonorum Ecclesiæ Hersfeldensis in Burgwardio Gozne & Franckenberg sitorum ad altare B. Pauli & Præbendam Fratrum h. e. Canonicorum,

(f) Dipl. apud Ludewig Reliqv. IX. p. 540, & XI. p. 596, Waltherum Singular, Magdeb. II. p. 43.



nicorum, spectare. Quo facto silentium Arnolde impositum, & lis finem suum nacta est.

Albinus, Misnensis historicus, hic aliquid humani passus est, dum ait, Hirschfeldensem parochiam præcipuam in illo Burgwardio fuisse sitam, ad quam scilicet decimæ illæ spectaverint: ego in Spicilegio Saxonico fide ipsius hoc repetii. Nunc autem certiora Lectorem edocere possum. Ecclesia Hirschfeldensis, cujus hic mentio, fuit olim Abbatia satis antiqva & celebris, quam non in his nostris regionibus, sed in Hassia, quaras. Hodie Principatus dignitate ornata est. Quamvis autem hæc Abbatia longo admodum spatio a nobis distita sit, multa tamen in terris nostris prædia obtinuit, quæ Marchiones nostri tanquam beneficia Abbatis Hersfeldensis agnoverunt. Res vulgo nondum satis est nota, particulam terræ Misnensis in clientela horum Abbatum fuisse, quamvis de Arnstadio & aliis Thuringicis nulla sit controversia. Vestigia vero quædam de urbe nostra Dresdensi occurrunt in diplomate anni 1319. ubi Witego, Episcopus Misnensis, dicit, Fridericum Admorsum debere hanc ipsam urbem beneficium Ecclesiæ Misnensis agnoscere, salvo tamen jure Abbatis Hersfeldensis. (g) Vidi aliquando schedulam, manu Tentzelii scriptam, in qua hæc verba legebantur: *Hæc sunt feoda, quæ Marchio Misnensium recipit de manibus nostris, Civitas Scaphe, (Zschopa,) & omnia, quæ attinent huic villicationi, Lichtenwald & omnes villicationes ibidem attinentes, Franckenberge castrum & civitas, & quicquid ibidem attinet.* Ex his itaque conficitur, Hirschbergam, de qua diploma allegatum loquitur, in Misnia nostra minime esse quarendam.

Ad rem autem ipsam ut perveniamus, loci illius, cui *Gozne* quondam nomen fuit, nulla fere hodiernis temporibus supersunt vestigia: nisi quod Vir quidam Reverendus, & rerum Francobergenli-

(g) Dipl. apud Weckium p. 163. Tentzelium in vita Friderici Admorli p. 975.



genfium gnarus, per litteras monuit, in ruderibus arcis destructæ ibidem inventum fuisse lapidem, qui literis Gothicis vocem *Gofenburg* ostenderit. Pars igitur fuit inscriptionis antiquæ, nescio quæ ob causam olim incisæ, sed quæ tamen ævum tulit neutiquam. Inrerim & hoc addere liceat, arcem Francoburgensem quondam ab urbe fuisse diversam, quum nomen habuerit *Franckenburg*, cui vicina est arx *Sachsenburg*, quæ duo nomina primos incolas Germanos in illis regionibus denotant. Arcis Francoburgensis denominatio in Epiraphis templi, ob vetustatem nuper destructi, fuit conspicua, ubi Schœnbergii se scripserunt *Dominos in Sachsenburg & Franckenburg juxta Franckenberg*. Et hæc quidem hæctenus.

### III. Burgwardium Nerchow.

A. 1231. hoc burgwardium ad Ecclesiam Magdeburgensem spectavit, ab Alberto vero Archiepiscopo pro octingentis marcis argenti venditum fuit Engelhardo, Episcopo Numburgensi, ad quam rem consensus Capituli anno sequenti accessit. Testantur hoc duo diplomata, quæ, quia hæc usque nondum sunt edita, locum aliquem hic merentur, quia testes habent notatu dignissimos.

I.

**I**n nomine Domini. **Albertus Dei gratia sanctæ Magdeburgensis ecclesie Archiepiscopus, Universis presentem paginam inspecturis.** Notum sit omnibus tam futuri, quam presentis ævi fidelibus, Quod venerabili fratri nostro domino Engilhardo Nuemburgensi Episcopo & ecclesie sue vendidimus proprietatem ecclesie nostræ, videlicet Burchwardum, quod appellatur Nerchow, cum omnibus pertinentiis suis vacantibus & infeodatis, pro octingentis marcis argenti, quam pecuniam nobis confitemur esse solutam, & in utilitatem ecclesie nostræ versam, scilicet in solutionem mille marcarum, in quibus tenebamur Duci Austriæ ex causa mutui, in qua summa prædictus Nuemburgensis & venerabilis frater noster Eckerhardus Merseburgensis episcopi, & quidam alii, pro nobis apud Ducem prædictum

dictum fidejusserunt. Tradentes itaque sibi dominium prædictarum possessionum, ipsum per nuncios nostros in possessionem induci fecimus corporalem, promittentes sibi præstare marandiam earundem, secundum jus & terræ consuetudinem approbatam. Ne vero super hoc aliqua in posterum dubietas oriatur, præsentem super eodem contractu literam conscribi fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Actum prope villam Koyschow, anno incarnationis Domini M. CC. XXXI. VII. Idus Septembris, coram testibus subnotatis, qui sunt hii. Dominus Eckehardus Merseburgensis, dominus Henricus Misnensis Episcopi, Willebrandus major præpositus, Degenhardus Vicedominus, Ludeuicus Cantor Magdeburgensis, Nortbertus, Cantor, Henricus de Waryn, Mgr. Conradus, Canonici Merseburgenses. Laici, Burchardus præfectus Magdeburgensis, Henricus Comes de Schowinburg, Bartholomeus de Guch, Otto de Ylburg, Richardus dapifer, & alii quam plures.

## 2.

**W**illebrandus Dei gratia Major præpositus, Fredericus Decanus, totumque sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Capitulum, Vniuersis paginam præsentem inspecturis. Notum sit omnibus tam futuri, quam præsentis ævi fidelibus, Quod venerabilis dominus & pater noster, Albericus ecclesiæ nostræ Archiepiscopus, domino Engelhardo Nuemburgensi Episcopo & ecclesiæ suæ vendidit proprietatem quendam ecclesiæ nostræ, scilicet Burchwardum Nerchow in diocesi Misnensi & Comitatu Marchionis Misnensis, cum omnibus suis attinentis, tam vacantibus, quam infeodatis, pro octingentis marcis argenti, quam venditionem nos gratam & ratam habemus, & eidem unanimiter assentimus, quia ecclesiæ nostræ per restaurum competens indemnis est conservata. Ad declarandum autem consensum nostrum præsentem literam conscribi fecimus, & sigillo nostri Capituli roborari. Testes hujus rei sunt Willebrandus præpositus, Fredericus Decanus, Wernerus præpositus in Hunoldeburg. Conradus de Salzwedele, Ludolfus Moguntinensis Scholasticus, Sifridus, Albertus & Sebastiani in Magdeburg Præpositus, Krafft cellerarius, Ludolfus de indagine, Thimo,

B

mo,

mo, Theodericus de Tobin, Rupertus, Bruno *præpositus* Lubicensis, Albertus *beatorum Apostolorum Petri & Pauli* Magdeburg. *Præpositus*, Arnoldus *scholasticus*. *Acta anno incarnationis Domini M CC XXXII. 11. Nonas Junii.*

*Nercha* s. *Nerchavia* hodie oppidum est ad Muldam situm, inter Grimmam & Wurcenam. Ex historia mea Wurcensi constat *Nercham* jam a. 983. Archiepiscopatu Magdeburgensi subjectam, postea a. 991. & 995. varias mutationes fuisse passam, quæ jam non repeto.

#### IV. Burgwardium Trebeni.

Hujus jam facta est mentio in Spicilegio vernaculo, ubi undevigesimum locum obtinet. Addenda nunc sunt, quæ sequuntur. A. 1108. Henricus V. Rex Ecclesiæ Misnensi novem mansos regales, sex in burchwardo & villa *Tribene*, tres autem in villa *Chrowati*, juxta fluvium Sala, in proprietatem dedit. (h) Villa *Chrowati* hodie *Corbeta major* dicitur, a qua *minor* haud procul remota est.

#### V. Burgwardium Zwegeni.

A. 1021. quum Wernerus, Episcopus Merseburgensis, monasterium S. Petri in metropoli sua fundaret, in burgwardo Zwegene ipsi dedit villas *Schwindele*, *Belitza*, *Guntorf*. (i) *Zwegene*, Brotuffius suo tempore *Zwegen* vocari dicit, hodie dicitur *Zwehmem*, quod cum *Belitz* & *Gundorff* ad Lupiam hodieque superest. *Schwindele* mihi huc usque ignotum est.

#### VI.

(h) Exc. dipl. ex MS. & annot. Hornii ad Epistolam Adelgoti p. 7.

(i) Brotuffii hist. monasterii S. Petri, part. XII, *der Obersächsischen Nachlese* p. 172.

## VI. Burgwardum Scudici.

De hoc ante dubitaveram, quia nomen burgwardi eidem adjectum non observaveram, nunc vero certiora edoctus mentem multo libentissime. In hoc Burgwardo a. 1021. sita fuerunt haec villae, *Rafenitze, Wesmar, Dewini, Tholenici, & Wideritz*. Exhibet illas tibi mappa Geographica Merseburgensis, excepta *Dewini*, quam Brotuffius suo tempore vocari dicit *das wenige Ende*: locus mihi ignotus. Idem Brotuffius (k) tradit, *Zwenckaviam* urbem ad hoc burgwardium pertinuisse, quod fide ipsius adfero, quum mihi non fiat verisimile.

## VII. Burgwardium Merseburg.

1. Occurrit in eadem fundatione, utpote in quo sita tunc erant villae *Trebenitz, Ripitsch, Welkau & Wallendorff*. Has omnes invenies hodieque juxta Merseburgum sitas.

2. A. 1029. Conradus II. Imp. clerico cuidam Iboni tres mansos dedit, *sitas in villa Liehicho, in pago Hassagouue, in Comitatu Sigfridi Palatini Comitis, in Burguuar Merseburg*. (l) Quid illud nominis sit *Liehicho*, fateor, me ignorare. Fortasse scriptor nomen ex negligentia corrupit. Habemus autem *Liebenau* haud procul *Martisburgo*: quid si igitur scriptum fuerit *Liehinow*?

## VIII. Burgwardium Hunliebi.

In illo monasterium S. Petri accepit *Hobenweiden & Bastendorff*. *Hunliebi* hodie dicitur *Holleben, Bastendorff* hodie *Passendorff* proxime ad *Halam, Hobenweiden* ad *Salam* etiam superest.

B 2

IX:

(k) Idem Chron. Martisb. II, 2.

(l) Dipl. apud Wideburgium Specim. I. rerum Misnicarum p. 76, & in Antiqq. Margraviatus Misnici II. p. 144.

## IX. Burgwardium Melitzin.

Et hoc debemus foundationi jam quater memoratae. Nam in illo monasterium S. Petri accepit *Zemptzin, Fucha, Crymme*, & XI. mansos in *Welitzo*. *Melitzin* hodie est *Moelfen*, oppidulum tractus *Leucopetrae*. Circa illam habemus *Zembschen, Faucha, Gros-Grimma & Stein-Grimma*.

## X. Burgwardium Brenense.

Ibi *Conradus Magnus*, Marchio *Misnensis*, monasterio *Montis Sereni* donavit & a. 1165. paullo ante obitum, confirmavit decem mansos in *Altorph*, & duos in *Catowe*. (m) Vrbs *Brena* satis est nota. Villae vero dictae hodie non supersunt. *Altorphii* nomen adhuc exhibet rivulus juxta *Landsbergam*, qui se postea in rivum majorem, *Streng*, exonerat. *Catow* autem villa hodie derelicta est, campi illius ad *Montem Serenum* pertinent.

## XI. Burgwardium Zurbici.

Eadem donatio in hoc burgwardio exhibet villas *Ruchtendorph, Odelete, Smalice, Batsice, Gordenerwice*. *Zurbici* hodie est *Zorbeca*. Villae tres mediae nobis sunt incognitae. Campos *Ruchtendorffianos* arant hodie rustici villae *Zoebritz*. *Gordenerwice* fortassis est *Goernitz* prope *Landsbergam*.

## XII. Burgwardium Witin.

In eo fuit villa *Pothegrodice*, cujus termini pertigerunt usque ad rivum *Godeffowe*. Vtriusque nostro tempore nulla memoria superest. *Wettinum* vero satis notum est, quum *Serenissima* domus *Saxonica* originem a Comitibus *Wettinensibus* deducat.

## XIII. Burgwardia Barboy &amp; Calve.

A. 961. *Otto I. Imp.* cryptae *Magdeburgensi* in honorem *S. Mauricii* & aliorum sacrae dedit omnem decimam, quam *Theotoni*

(m) Vide *Vitam Conradi Magni* a me editam p. 328, 327.

ni & Slavi persolvere debent ad civitates Barbie & Calva pertinentem, illa decima excepta, quæ usque huc in præfatis locis finibusque illorum, *Magdeburgo* burgwardo, *Froseri* burgwardo, *Barburgeri* burgwardo, *Caveri* burgwardo, fuit soluta. (n) De burgwardio Magdeburg & Frosa in posterum agemus, cum de burgwardiis extra Saxoniam sermo erit. Miror hic terminationem in *ri*, quæ mihi alias non obvenit: nisi forte sit ex lectione imperiti, qui *abbreviaturam* quam vocant, non satis recte adsecutus est. Eadem, quæ hic, jam ex Chronico Magdeburgensi adducta erant: hic maluimus verba ipsis diplomatis repetere. Non possum autem hic assentiri Clar. Walthero, (o) qui per *Calveri Calvoerdam* intelligit: nam illa terminatio inusitata ipsum eo perduxerat.

#### XIV. Burchwardium Kœne.

A. 1147. prædium *Corowe*, in burgwardio Kone situm, permutationis jure, permittente Alberto Vrfo Marchione, ad monasterium Gratia Dei pervenit. Postea a. 1162. Wichmannus, Archiepiscopus Magdeburgensis, decimas burgwardii Kone, una cum quibusdam villis, monasterio Niemburgensi dono dedit. Ita scripsit Christianus Knauthius in Antiquitatibus Ascaniensibus & Ballenstadiensibus, (p) quæ 1698. prodierunt. Anno sequenti in Commentario de pagis Anhaltinis, ubi literas Wichmanni eodem modo excerptæ, burgwardium vocat *Steno*, cum quo consentit ipsum diploma, quod Becmanus produxit. De hoc autem jam actum est in Spicilegio sæpius memorato: hic tantum ejus rei mentionem facere placuit,

B 3

ne

- (n) Dipl. apud Sagittarium Ant. Magdeb. §. 72. Leuckfeld. Ant. Walhusânus p. 334. Hævecker *Beschr. de Stadt Calbe* p. 18. 19.  
 (o) Singularia Magdeb. VII. p. 99.  
 (p) p. 85. quem secuti sunt Valerianus Bruno in Monumento mutilo in Aquis p. 38. & Hæveckerus de monast. Gratia Dei p. 456. cujus tamen verba mendose impressa ex Brunone sunt emendanda.

ne Lectores duo diversa burgwardia sibi fingant, quæ ex unius literulæ immutatione oriuntur. Nam & illud *Kæne* olim in historia Anhaltina ignotum non fuit, de qua re jam alibi a me actum esse memini.

Seqvuntur nunc burgwardia trans Albim sita.

### XV. Burgwardum Cherewist.

In eo a. 1196. sita fuerunt *Mokerin* & *Steinboge*, quæ Otto II. Marchio Brandenburgensis, Ecclesiæ Magdeburgensi donavit. *Mæckerinum* urbs nota est, *Steinboie* hodie est *Stekeby* in agro Servestano ad Albim.

### XVI. Burgwardia Wisenberg, Cossewitz, Dobin, Wittenburg, Zane, Alstermunde.

Occurrunt in diplomate post a. 1180. dato, quo Waldemarus, Episcopus Brandenburgensis, prædia & possessiones monasterii Liezeke confirmavit. Necesitas vero urget, ut verba ipsius documentii describamus: *Sciendum quoque est, quod Præpositus Ecclesiæ b. Mariæ in monte Liezeke a prædecessoribus nostris, simulque a nobis curam Ecclesiarum & Archidiaconatum tenet, & vicem Episcopi gerit in omnibus Ecclesiis, quæ infra Albiam & Havelam continentur, ab ortu ipsius Havele usque ad terminum ejus, ab ortu vero Havele sursum deficientibus terminis per subscriptos Burchwardos eundem archidiaconatum determinantes scripto præfenti communimus: totum videlicet Burchwardum Loburg, præter duas villas Vibas & Zojas, quas Havela excludit, Burchwardum quoque Wisenberg, & circa Albiam, Cossewitz, Dobin, Wittenburg, Zane, Alstermunde, cum omnibus Ecclesiis infra hos terminos constitutis. (q) Primo quidem dubium alicui videri posset, an Cossewitz, & quæ seqvuntur, burg-*

(q) Dipl. apud Ludewig Reliqv. II. p. 434 & Leuckfeld de monast. Grætia Dei p. 121.



burgwardiis adnumerari debeant. Quamvis enim *burgwardorum* mentio injiciatur, numero plurali, tamen *Loburg* & *Wiesenberg* huic numero possent satisfacere: & quia reliquis illis quinque locis burgwardorum nomen expresse non additur, timide sane hos seriei burgwardorum adseribo. Interim non nego, hoc stare pro burgwardis, quod in hoc diplomate reliquis locis villarum nomen additur, his vero non item. Admittantur igitur in numerum illorum, donec quis certiora nos edoceat. Sed ad rem. *Wiesenberg*, hodie *Wiesenburg*, Belcicio proximum, arx Brandiorum de Lindau, munimentum ajunt ab Alberto Vrfo contra Slavos fuisse exstructum. *Coschwitz*, nunc *Coswig*, urbs Anhaltinorum Principum satis nota. *Burgum* h. e. arcem ibi quondam fuisse, docet Becmanus. *Dobin*, villa haud procul a Witteberga, in qua vestigia arcis dominorum de Dobbin, qui a. 1215. viguerunt, conspicienda. *Zabna*, urbs nota. *Alfermunda*, quod latine veritas, oppidum ad ostium Alestræ situm, olim quoque *Elsterberg*, nunc *Elster* dicitur, & hodieque rudera arcis antiqva ostendit. (r)

## XVII. Burgwardum Schillau.

A. 1091. datum est privilegium Henrici IV. Imp. super sex villis, *Mokozice*, *Pozance*, & quatuor aliis in burgwardo *Schillau*. Actum Mantuæ, anno Imperii ejus 26. Huc usque excerpta diplomatis, quod in antiqvo Codice inveni Ecclesie Misenfis fuisse datum. Quem vero huic burgwardio locum tribuam, adhuc sum incertus. Habemus monasterium *Sebillen*, & villam quoque haud procul ab urbe Misena distitam *Zscheila*, qua olim *Schylow* dicta est. Si de villis *Mokozice* & *Pozance* res clara esset, pronunciare aliquid liceret. mera vero in his adhuc sunt tenebra.

Sed

(r) Adde Thorfschmidii Antiquarium Saxonicum p. 6. & Chr. Frid. Zeibichium von dem Alter der Stadt Wittenberg p. 17.

\*

Sed nunc tempus est, ut ad propositum veniamus. Rationes nostræ jubent, ut aliquos ex nostris in publicum producamus, quibus ego, quum nuper admodum Epistolas Divi Hieronymi per otium evolverem, sententias, quæ mihi sese probaverunt, uberiori sermone ornandas tradidi. Ex his

1. GOTTLIEB AVGVSTVS PVSCHMANN, Waldbeimensis, hanc sententiam illustrabit: *Apud Christianos non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est.*

2. JO. CONRADVS WEISE, Dresdensis, hanc alteram: *Virtus semper invidie pater.*

3. JO. GOTTHELFF CHRYSOSTOMVS BLVMROEDER, Peritzensis ex agro Zabelticensi, hoc dictum exponet: *Magis vitam tuam ordinare discere, quam alienam carpere.*

4. CHRISTOPHORVS GOTTLIEB SCHMIDIVS, Glasbützensis, aliam sibi deducendam sumet: *Nihil omnino agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus.*

5. JO. FRIDERICVS MIRISCH, Dresdensis, sequentem explanabit: *Non queruntur a Christianis initia, sed finis.*

6. CHRISTIANVS GOTTHOLD SIMON, Waldkirchensis, in hæc verba commentabitur: *Ama Scripturas Sacras, & amabit te sapientia.*

7. JO. GOTTHELFF ROTHE, Calwitzensis, hanc denique gnomen pro viribus enucleabit: *Vinum & adolescentia duplex incendiium (nisi mavis, incentivum) voluptatis.*

Hæc exercitationes publice instituentur die secunda Martii, ad quas ut studiorum nostrorum Patroni atque Fautores comparere frequentes dignentur, honestis precibus ab iisdem flagitamus.

Dresda d. XV. Febr. Clō Id CC XLVII.



Pon *Zd* 5497

ULB Halle 3  
002 691 949  


*Sf*



*mc*





28

30

ANALECTA  
 DE  
 BVRGWARDIIS  
 SAXONICIS.

SIMVL VERO  
 MVSARVM FAVTORES AC PATRONOS  
 AVDIENDAS

IONES VII.

THI dō Io cc XLVII.  
 ENTER INVITAT  
 VS SCHOETTGENIVS,  
 RECTOR.

DRESDAE,  
 HARPETERIANIS.

31.

